Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31664
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

sal astringit siccat et alligat. defuncta a putrescendi labe uindicat. ut durent. Nitrum a loco suprasit uocabulum. Nascitur enim in oppido uel regione nitrie egipti. ex quo et medicine fiunt. et sordes corporum uestiumque lauantur. Huius natura non multum a sale distat. Habet enim uirtutem salis et similiter oritur canescentibus siccitate litoribus. Afronitrum grece latine spuma est nitri. de quo quidam ait. Rusticus nesciens quid greco nomine dicatur: Spuma uocor nitri grece est afronitrum. Colligitur autem in asia in speluncis distillans. de hinc sole siccatur. Optimum putatur. quod minime fuerit ponderosum. et maxime friabile colore pene purpureo. Calcantum dictum quod calcidis est cimia. id est flos. unde et apud latinos aeris flos appellatur. Fit autem nunc in multis regionibus. olim in hispanie puteis uel stagnis. Id genus aque habentibus. quando coquebant et in piscinas ligneas fundebant. a pendentibus super aereas restes lapis extensas. quibus limus in similitudine uitreis acinis adherebat. sicque ictum siccabatur diebus xxx. Fit autem nunc alibi in speluncis de liquide collectum. de hinc diffusum in quasdam botros solidatur. Fit et in scrobibus cauatis quorum e lateribus decadentes gutte coalescunt. Fit et salis more exflagrantissimo sole. Adeo autem constricte uirtutis est ut leonum et ursorum ora sparsum tantam uim habeat adstringendi. ut non ualeant mordere.

De lapidibus uulgaribus.

Lapis atra tamquam densior et uulgo dissentit. Lapis autem dictus quod ledat pedem. Lapis mollis est et sparsus. Saxa heremi et a montibus exciduntur. Petra grecum est. Silex est durus lapis eo quod exiliat ignis ab eo dictus. Scopulus a saxo eminenti quasi ab speculando dictus. siue a tegimento nauium. apotoicxepiy. Spelea grece spelunca latine. Est autem rupis cauata. Crepido extremitas saxi abrupta. unde et crepido uocata quod sit abrupti saxi altitudo sicut heremi pede pes densius unde et uocatur. Cautes aspera saxa in mari dicta a cauando quasi cauate. Murices petre in littore similes muricis uiuis acutissime et nauibus perniciose. Icon saxum est quod humane uocis sonum captans et uerba loquentium imitatur. Iconam grece imago latine uocatur. eo quod ad uocem respondens alienum efficiatur imago sermonis. hec et hoc quidem ex locorum natura ueniat et plerumque conuallium. Calculus est lapillus terre admixtus. rotundus atque durissimus et omni puritate leuissimus. Dictus autem calculus quod sine molestia breuitate sui calcetur. Cui contrarius est scrupulus lapillus minutus et asper. qui si inciderit in calciamentum nocet et molestiam est animo. Unde et animi molestiam scrupulum dicimus. Hic et scrupea saxa id est aspera. Cotis nomen accepit quod ferrum ad incidendum acuat. Cos enim greco sermone incisio nominatur. Ex his alie aquarie sunt. alie oleo indigent in acuendo. sed oleum lene. aqua acie acerrimam reddit. Pumex uocatur eo quod spume densitate conficiatur. et est aridus candore paruus. tantaque natura refrigerandi habens ut in uase missus musta deferuere desinant. Rudos artifices appellant lapides contusos et calce admixtos quos in pauimentis faciendis superfundunt. unde et rudera dicuntur. Gypsum cognominatum calcis est. et est grecum nomen. plura eius genera. omnium autem optimum lapidi speculari. Est enim signis edificiorum et coronis gratissimum. Calcis uiua dicta quia cum sit tactu frigida. intus occultum continet ignem. unde et perfusa aqua statim latens ignis erumpit. Natura eius mirum aliquid facit. Postquam enim arserit aquis incenditur quibus solet ignis extingui. oleo extinguitur quo solet ignis accendi. Usus eius structuris fabrice necessarius. Nam lapis lapidi non potest adherere fortius nisi calce coniunctus. Calcis e lapide albo et duro melior structuris. ex molle utilis tectoriis. Harena ab ariditate dicta non adherendo in fabricis ut quidam uolunt. Huius probatio si manu impressa stridat. aut si in ueste candida sparsa nihil sordidum relinquat.

De lapidibus insignioribus.

Magnes lapis indicis ab inuentore uocatur. Fuit autem in ida primum repertus clauis crepidarum baculique cuspide herens. cum armenta ibi magnes pasceret. Postea et passim inuentus. Est autem colore ferrugineo. sed probatur cum ferro adiunctus eius fecerit raptum. Nam adeo apprehendit ferrum ut catenam faciat anulorum. Unde